



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Dvnstanvs Ep. 19. Maij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

*benter opera charitatis exercuit : habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri. S. Hier. Ep. ad Nepot.*

## S. DVNSTANVS EP. 19. Maij.

**I**Nter Angelos, quos Anglia genuit, etiam DVNSTANVM numera, cui serum fuit, miracula incunis inchoare; nosci prius, quam nasci voluit. Mater eo gravida Purificatæ Virginis die Numini supplicabat: cum repente extinctis occultâ vi templi facibus, tota urbs cohorrui. Paulo post diviniior ignis, rectâ ad DVNSTANI parentem delapsus, ejus cereum accendit, unde reliqui lumen mutuati matrem novi sideris consalutarunt. Confirmavit postea omen Angelus, qui delatum in templum puellum ad omnes Aras circumduxit, futurum pollicitus, uti ejus operâ Religio resoreret. Eas spes paulò post morbus labefactavit. Adstabant amici animam agentis, cum ille repente lectulo exiliens, ad templum intempestâ nocte properavit. Eam pietatem cum Stygii canes allatrarent, puer audaciâ Cerberorum virgula compescuit. Templo exclusum Angeli ad aram subvexerunt, ubi postridie sopitum familiares reperere. Hæc præludia fuere crescentium cum ætate virtutum, quarum reliquas usû, castitatem etiam voto firmavit, quæ illum Reginæ virginum ita conciliavit, ut eidem jam Episcopo cum choro virginum obviam processerit. Iam ipse Dei Filius DVNSTANI acta probavit. Nam cum ejus de Monachis in Canonicorum locum sufficiens sanctioni intercederetur, Crucifixi imago palam hanc vocem misit: Non fiet: Iudicatis bene, mutaretis non bene. Ad cælum vocatus negavit, se nisi populum  
allo.



allocutus esset, iturum. Idcirco rapī eum necesse fuit; tertium certè cum lectulo in altum subvolavit. Tanta est boni viri in celo expectatio. *Ex Syr.*

*Et nobis pro modulo nostro penna sunt insita, virtutes scilicet spirituales, quibus si viriliter utimur, ad caelestia sublevamur; sin autem ex desidia torpore deponimus, necesse est, ut in surripientium vitiōrū profunda mergamur. S. Pet. Dam. lib. 2. Ep. 18.*

S. PETRVS CAELSTINVS. 19. Maij.

**V**Nicum modestiæ miraculum PETRVM CAELSTINVM vides, qui exemplo antehac in viso, postea numquam repetito, summo se Pontificatu sponte abdicavit, immortalī memoriā dignus, etsi eo facinore solo inclaruisset: sed idem tenor totius vitæ fuit, cuius quia partem longè maximam in locis solis exegit, non revocabimus ad illam normam mores delicatæ juventutis, contenti si se cum puero patientur componi. Simul ac fieri potuit, illud aureum matri promissum inculcabat, *Volo esse bonus servus Dei*; quod ipsum mater jam tum spe præceperat, cum in recens nato multa Religiosi insignia deprehendisset. Ergo quantumvis arctis domi rebus, in ludum eum literarium misit, patre nuper mortuo consilium de celo probante, ut totius terrarum orbis bono susceptum. Incidère tamen remoræ permultæ, quibus omnibus perruptis, mater in filioli oraculo acquievit, tum quidem constantissimè, cum pædagogum discenti se Christus offerret, visus nonnunquam de cruce ad eum descendere; ut mirandum non sit, Angelos eam operam non dedignatos; & hi quidem etiam morum ab eo rationem exigebant, nunquam impunè delinquere eum passi. Iam vir-